PETRUS COMESTOR

Prag?, 2. Drittel 13. Jh.

Seite 49r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8320
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Si ergo nupserint uiris tribus alterius. quia filii earum sequentur tribum patris. minuetur hereditas nostra. et sortium distributio confundetur in iubileo. occasione ergo filiarum salphaath: lex hec promulgata est a domino per moysen. omnes uiri ducunt uxores de tribu et cognatione sua. ut hereditas permaneat in familiis ne confundantur tribus. sed maneant ut a domino separate sunt.

Quinta et ultima huius libri hystoria deuteronomii.
hystorie distinctio: He[=]brayce dicitur elleadebarim. quod sonat hec sunt uerba. Grece dicitur deutoronomium. vel secunda lex. deuteron enim secundum. nomia lex. ex hoc nomine quidam errantes dixerunt duas esse leges. unam datam a deo. que in precedentibus libris continetur. alteram datam a moyse que in hoc libro addentes in assertionem sui erroris. quod de illa legitur supra. locutus est dominus moysi. de ista dicitur. locutus est moyses. ad omnem israel. ad hoc dicebant quod multa hic leguntur que non supra. et non quedam que contraria quod dicunt fieret. si hec esset predictorum repeticio. Verum sciendum est quia hic pentatheucus non est nisi lex una que et ab apostolis et aliis sepius uocatur lex moysi. quam legem dicit hebreus et uocat hos .v. libros thorath. id est legem. nec ob hoc aliud itera. Iterantur autem hic tria tribus de causis. precepta et cerimonie ad commendationem memorie. et ipsorum confirmationem. beneficia dei. ad roborandam dilectionem dei in illis. flagella que sustinuerunt murmurantes ad incutiendum timorem. Si uero in hac iteratione uidetur aliquid predictis inesse contrarietas in superficie uerborum: in intellectu tamen nulla est. fuerunt et qui dicerent: hunc librum factum a iosue transito iordane. quod legitur in principio. hec sunt uerba que locutus est moyses trans iordanem. per situm terre. per scripturam facta dicitur. consueuit ultra iordanem. Sed uero dicitur trans liber moysi. quod moyses uerbo tradidit: iosue redegit in scripto. Videtur tamen uelle quod magnam iosue huius libri scripsit partem. Verius uidetur esse quod scriptus sit a moyse. et loquitur moyses de se tamquam de alio. Sed hoc in principio apposuit esdras. sicut et in fine de morte moysi. Presertim cum circa finem libri legatur. scripsit moyses legem hanc. et paulo post. Postquam scripsit moyses uerba legis huius in uolumine: precepit leuitis. Tollite librum istum et ponite in latere arche federis. legitur longo tempore post inuentus interim deuteronomius in archa. Explicit prefatio. Incipit hystoria. Capitulum

Quadragesimo anno loquitur cum additionibus et ab exitu filiorum israel de egypto. xi de terminationibus.

mense prima die mensis. uidens moyses diem mortis sue imminere locutus est ad omnes filios israel. et cepit legem explanare congregans eos secundum iosephum ad iordanem in loco ubi nunc ciuitas abidal est locusque palmarum. Sane recapitulationem moysi prosequentes. que supradicta sunt omittemus. sed addita dicemus. quedam que uidentur contraria: memorabimus determinando. Itaque in recapitulando ait moyses. dixi uobis illo tempore. non ualeo solus negocia uestra sustinere. date ex uobis uiros sapientes. et ponam eos tribunos centuriones. quinquagenarios. et decanos. hoc uidetur contrarium predictis. Supra enim consilio ietro dixit. hoc factum esse. utrumque non factum fuit. Primo enim ad consilium soceri faciendum secreto disposuit. postea auctoritate et assensu populi compleuit. Quod et hic dicit moyses. Dixistis ut mittamus uiros qui considerent terram Supra non legitur dixisse dominum. Mitte uiros ut considerent. Quia ad suggestionem populi consuluit dominum. Qui dixit ei mitte ad pusillanimitatem quorum eorum confortandam narrauit moyses. de uictoria og regis basan qui restitit de stirpe gigantum. in argumentum magnitudinis eius monstrat lectus ipsius ferreus in rabath filiorum amon. ix. cubitos habens longitudinis. et iiii. latitudinis. De ciuitatibus refugii trans iordanem.

Separauit moyses tres ciuitates refugii trans iordanem bosor in tribu ruben. ramoth in galaad in tribu gad. golam in basan. in tribu manasse. has hic usus erat. Si quis nolens hominem occidisset: confugiebat ad aliquam harum. ubi a consanguineis occisi tutus erat. Si enim extra fines aliquarum harum inuentus esset eum qui ultor sanguinis effusi esse debebat: impune perimeret homicidam. Erat autem in ea fugitiuus usque ad reconciliationem cum propinquis. uel usque ad mortem summi pontificis. in qua huiusmodi omnes fugitiui redibant securi ad propria. Tamen si propinqui occisi nolebant illum impetere. quod nolens occidisset. et coram ciuibus urbis ei hoc probarent: tradebatur eis ad occidendum. De .x. secunda.

Addidit quoque moyses. Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo. et ex tota anima tua. et ex tota fortitudine tua. Addidit quoque cum de manna tractaret. non in solo pane uiuit homo. sed in omni uerbo quod procedit de ore dei. Panem uocauit hic omnem cibum hominum. Consueuit enim scriptura panem pro cibo ponere. et est sensus. Nolite mirari si cibum insolitum dedit uobis dominus. quia non in solis usitatis cibis uita hominis stabilita est. apud dominum. sed solo uerbo potest creare noua. ex quibus uiuat